DE PERIPNEUMONIA IN VOMICAM VERSA

AB HORATIO BELLINI ASTENSI

TAURINENSIS ACADEMIÆ DOCTORE

FELICITER CURATA

DISSERTATIO

HISTORICO - MEDICO - PRACTICA EPISTOLARIS

AD PHILIATRUM NERIUM



ROMÆ 1775.




Typis Archangeli Caſaletti ad S. Euſtachium.

SUPERIORUM PERMISSU.

Ο μὲν ἸΠΠΟΚΡΑΤΗΣ συμπάντων ἡμῖν τῶν ἀρίστων μαθημάτων ἡγεμων.

Galen. lib. 3. de Crisib.





Ippocraticæ doctrinæ constantiam, & veritatem nulla unquam ætati deleri viginti circiter sæculorum firmas observationes a Celeberrimis Viris passim institutas demonstrare eamque summos Præceptores Sydhenam, Baglivi, Boerhaave, Swieten, de Haen aliosque nostris hisce temporibus magno artis incremento confirmasse, eorum monumenta leviter etiam versanti latissime patebit. Licet autem Divini Senis in Medicina præstantia ex omnibus ejusdem Operibus eluceat, mira tamen ejus Sapientia, & ingenii vis ex Epidem: Prognostico:, Prorrheticor:, Coacar: Præsagit:, & Aphorismor: libris adeo effulget, ut Græcia, quos Herculi propter ejus merita contulit honores, ob id Hippocrati summo jure divinos publice decreverit. Nescio tamen quo artis fato contingat ut tanti Viri Oracula a quibusdam Medicinæ cultoribus nostris hisce diebus, aut parvi habeantur, aut omnino negligantur. Re enim vera cum prima Medicæ Praxeos exordia diuturnæ, laboriosissimæque Veterum observationi debeantur, motusque naturæ, & conamina ad ægri salutem eadem semper fuerint, tutiorem nullam,

certioremque investigandorum , curandorumque Morborum Medico superesse viam , quam eorum inhærere vestigiis , una Summorum in Arte Virorum vox est , & opinio . Magni Viri præcepta, quæ apud saniores sunt totidem leges , & canones, nulla in affectione animo advertenti , magis fi ma, & utilia , quam in morbis pectoris esse , Epidemica hujusce Anni Constitutio , opportunissimum mihi hac de re judicandi præstitit argumentum . Nitidissimum Observationis exemplar , utpote ab Hippocratico fonte plane deductum tibi præ cæteris Philiatre ornatissime , ideo imitandum proponam , quod , & novum videbitur , eritque forsan medicinam facienti summæ utilitatis . Injuriam tibi sane maximam inferrem , si Vulgarium Morborum hac ipsa Constitutione grassantium historiam tradere vellem , quum persuasum satis habeam , te , ex Nostris Romæ , & Neapolitanis , aliorumque Regionum Medicis , si literaria Commercia tenes , intelligere potuisse . Me tamen gratissimum tibi facturum post hæc omnia putavi , si Aphorismorum Hippoc. Section. 3. , ejusdemque præsertim Aphor. 23. , & Caput 1. Dissertat. Celeberrimi Huxami de Pleuritide , & Peripneumonia attente legendum consulerem , dum ipse qua potero , perspicuitate , fidem datam persolvo .

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus Antonius Marcucci ab I. C. Epiſc. Montis Alti Viceſg.




IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter.

SEntio autem nostræ artis incrementum in his consistere, ut habeatur primo Historia Morborum, seu descriptio quoad fieri potest graphica, & naturalis; secundo Praxis seu Methodus circa eosdem stabilis, ac consummata.

Thomas Sydhenam in Præfat. p. 8.



HISTORIA MORBI, CURATIONIS, ET EXITUS.



PIUS, probuſque Sacerdos quinquageſimum
quintum circiter ætatis annum agens, tem-
peramenti ſanguineo-pituitoſi, coloris ter-
reo-flaveſcentis, corporis quodamodo obæſi,
ad Quirinalis radices prope Sanctæ Crucis
Lucenſium ædem decumbebat; is circa veſperam diei no- *Dies*
næ Februarii Anni 1775. ſummo correptus horrore ſic plu- *Morb. Febr.*
res traduxit horas, donec illum febrilis calor excepit, & 1. * 9.
ita affectum ad diem undecimam tenuit uſqueodum mane 2. * 10.
ad illum acceſſor: Omnia animo luſtro, os rubro colore 3. * 11.
ſuffuſum lingua alba oductam pituita, difficilem parumper
ſpiritum video. Manu carpum prehendo duriuſculum ta-
ctu pulſum, non valde magnum calorem exploro; ſini-
ſtrumque hippocondrium ad ventriculi regionem ſubter co-
ſtas præter-naturam tumidum percipio: Lotium intenſe
rubet; nulla ſitis; tuſſis parva, nullus capitis, & pecto-
ris dolor, frequens ſolumodo viſcidæ ſpumoſæ ſalivæ ex-
creatus, ægerrimus in latus utrumque decubitus. Venam
extemplo ad uncias XIV. incidi jubeo, exquiſite tenuem
victum, ptiſanam nitro ſaturatam pro potu Ordinario tepide
ſumendam præſcribo: Sub veſperam pallidior eſt facies,
facilior aliquanto ſpiritus, remiſſior pulſus, cætera eadem;
ſanguis vero eductus nullum corii ſignum exhibet, ſed
ſumme viſcidus, & niger apparet, paucoque innatat fla-
vo viſcidiſſimo ſero; Electuarium Lenitivum ad diem craſti-
num * ſtatuo, ex quo binas nigri coloris, eaſque copioſas 4. * 12.
ha-

Dies Morb. Febr.

5. * 13. habuit alvi delectiones; parum inter hæc æger levatur; verum labente die angustior fit spiritus augetur febris, & tussis, noxque inquieta paratur; adsum summo mane, * relata colligo, non multum imminuta symptomata video, rubentes adhuc genas inspicio, pulsum heri duriorem observo, venam iterum ad unc: XII. tundo, ptisanæ fræquentem usum suadeo, Eclegma de Oximelle simplici & syrupo de althea ex cochleari sumendum paro, sedulusque interea quid vesper vehat expecto; verum nil boni tulisse pulsumque in eodem statu advertens, & sanguinem, ac primo educti ejusdem indolis esse, tertio venam ad uncias XII. incido; exurgit de nocte pungens dolor quintam inter & sextam lateris sinistri costam sternum versus spiritum intercipiens, molestissimam tussim excitans, externique tactus impatiens. Nova hæc epiphænomena, flammeus jugiter urinæ color, venam iterum ad uncias XII. subse-

6. * 14. quenti die * aperiri suadent; fotus affecto lateri præscriptis addo, eductum sanguinem coriacea obtectum crusta, copiosiori circumdatum sero hora vespertina invenio, viscida, copiosa, alba, spumosa saliva materiem excreatus efficit; Linguæ status idem ac sub initio manet, labia pallidissimo tinguntur colore, ventris elatio imminuta paulisper est, depressi sunt pulsus, non multus est corporis calor, licet pectus, collum & caput sudore madescant. Enema commune imponatur curo, Epispastica coxis ap-

7. * 15. plicanda ad crastinum * jubeo; Laboriosam efficit noctem lancinans lateris dolor, qui ad posteriora scapulam versus extenditur: mane pulsus vibrat paulisper, symptomata omnia perseverant, alvi egestio a clysmate copiosissima est; mittitur iterum sanguis ad unc. VIII. * præscripta vesicantia admoventur, parvi boli e nitro & camphora per diem parantur, cæteris interim non neglectis auxiliis: doloris vespere perseverantis molestiam paregorico lenire stu-

8. * 16. deo, anxiusque quid ferat nova dies * expecto. Verum deliram, & sine quiete transactam noctem refferunt adstantes, auctus est dolor, vividiores aliquanto sunt pulsus, pere-

* *Summa sanguinis educti sunt 58. circiter unciæ.*

perexiguus eſt qui a circumciſis veſſicantibus plorat flaveſcens humor: mens erat latum affecto lateri imponere epiſpaſticum, alieno ductus conſilio renuit æger, fotus, mellitæ calidæ potiones, tepens aqua limonum ſucco diluta, ſyrupus de althea pauco oximelle ſcillitico ſociatus una ſunt quæ modo adhibentur auxilia; ſponte ſolvitur circa veſperam alvus, copioſa, viſcida, ſpumoſa flavonigreſcens, fætidiſſima eſt egeſta materies; Levatur poſt hæc parumper ægrotans, idque mihi ad novum clyſma ſtatim, & Lenitivum ad craſtinum addit animos. Rem *Dies Morb. Febr.*
mane * exploraturus accedo, vas copioſiſſima ejus indolis 9. * 17.
ac præcedentis refertum materia offerunt, remiſſa aliquanto ſunt ſymptomata omnia, excreatu illo ſalivæ excepto, qui copioſius, & viſcidius eſt, & exiguas ſanguinis ſtrias intermixtas reffert, veſſicantium ulcus copioſo viſcido ſero madet, palletque: Remediorum præſcriptorum frequentiorem uſum inculco, & ubi feriantur fotus vervecinum rete lateri laboranti admoveatur impono. Sero ad ægrum venio pluribus erectum pulvinaribus dorſum invenio, licet reſpiratio non multum difficilis appareat, pulſus eoſdem ſerveat motus, tuſſis laborem facit, urina rabicunda perſeverat ponderoſiſſima, ſpumoſa, & eneoremate pallido levi ditior, & copioſior eſt, ſputum tenacius, & demptis ſtriis cæteras tenet dictas proprietates. Nil mihi ſuppetunt indicationes novi, omnia repeto, paregoricum adjungo, animoque contrhacto diſcedo. Nova ſequenti luce * ad 10. * 18.
eum ſollicitus revertor, & decumbentem, ut heri, in dorſum obſervo, pectus, jugula, caput adhuc nocturno ſudore diflu[illegible]entia conſpicio, matula ejuſdem indolis urinæ, non adeo tamen rufæ magnam copiam exhibet, maxima eſt in vaſe jam dictæ ejuſdem naturæ ſputorum collecta congeries, eundem ſtillant veſſicantia humorem, latiores, mollioreſque ſunt arteriarum pulſus, imminutus paulullum affecti lateris dolor, vexat eodem modo tuſſis, maxima pars animæ abdominalium muſculorum ope attrhaitur, lingua, ut antea ſemper fuit, alba humidaque

que conspicitur, leves in imo ventre borborigmi ansam novo clysmati præbent & tussis hypnoticum suadet; spem inter, & metum ad vesperam usque sic ægrotantem relinquo; sub noctem eundem ferme servant symptomata modum, alvi dejectio ab enemate magnam cinereo-flavæ & mucosæ materiæ copiam profert consueta præsidia repeto, & naturæ molimina expectans discedo.

Dies Morb Febr. 11. * 19. Morbi dies undecima * nil adfert novi, non multum transacta nocte quievit, eumque tussis consueta vexavit, sudor eosdem artus occupat, turbidum, copiosum, spumosum, & grave satis, at pallidius est lotium, expuitionis indoles, & natura eadem servatur, pulsus frequens, parvus, & mollis, est & in dorsum decubitus, eademque tussis. Enema ad vesperam imponitur, alvi dejectionem aliis simillimam gignit; augetur aliquanto sub noctem calor, & arteriarum pulsus, tamen dormitat, sudatque. Idem ferme est

12. * 20. mane * sequenti status, circa meridiem mitescit calor, & sudor, copiosa ejusdem naturæ est urinæ, & spuitio, supinus decubitus, molesta tussis, brevis, & frequens respiratio, bonamque partem abdominales musculi peragunt, remissus est lateris dolor, sed pondus locum occupat.

13. * 21. Eadem symptomata die decimatertia * cernuntur, iisdemque propterea occurritur auxiliis, & ad nimium pulmonis motum compescendum, pilull: e cynogloss: superadduntur: solvitur sponte sub vesperam alvus, materiem cinereo-flavam, viscidam, spumosam, gravissime olentem egerit, urinæ sunt ejusdem naturæ, salsum sapiunt sputa, nox est præcedenti similis. Nec diversa est subsequens de-

14. * 22. cimaquarta dies, * imminutus quidem est, sed constans nocturnus sudor, non dissimiles fluunt urinæ, sputa salsa screantur, nullus rei nullius, est appetitus, sitis oritur, parvus, frequens, anhelus est spiritus, subrauca vox fit, labia, genæ, corpusque pallescunt. Descriptam modo

Morb. Mart. faciem eamdem ferme ad trigesimamseptimam diem * te-

37. * 18. net morbus, qui, licet futuræ suppurationis aliqua jam nunc signa præseferat, vagis tamen horripillationibus, dolo-

doloris remissione, gravitate lateris, corporis emaciatione, dulci sputorum puriformium sapore, nocturna, & a cibo quamvis tenui, febris exacerbatione, pulsu molli & debili, urinarum denique spumosa, pingujuscula, copiosa excretione, magis deinceps confirmatur; unde parva peruviani corticis dosis quæ in exortu dictorum modo symptomatum, ut antypyrectica proponebatur, antiseptici, & tonici vice una cum aliis auxiliis prosecuta fuit, & prout indicatio postulabat blanda Eccoprotica, vel Clysmata præscripta sunt. Ea est temporis hujus decursu per alvum, ureteres, spiracula cutis egestæ materiæ copia, ut morbum sic tolli posse facile quisque putasset, nisi frequentiorem hujus solutionem a sputis, eorumque indole expectandam esse, Hippocratica observata docerent: Neque fallor; post varios enim & anomalos febriculares recursus sicca semper tussi nocturno præsertim tempore comitatos xv. Kal. Aprilis hora nona matutina, morbi trigesimamseptima, dum tepentem aquam succo limonum saturatam ingerit, valida correptus tussi, quæ varios vomendi conatus excitans, Vomicam in imo sinistri pulmonis lobo latitantem magno discrimine rumpit. * Refugit adhuc animus successionis hujusmodi tantum meminisse, quem exitum novus hic gravissimus morbus habiturus esset ignorans. Verum naturæ providentiam in ipsa eruptione jam expertus, opem ejusdem in debita sputorum crisi haud mihi defuturam confidens, morbi prognosim in eorumdem observatione sitam esse certo sciens, me totum huic evacuationi promovendæ, & contemplandæ addixi, & prout mihi res cessit verbis fideliter prosequar.

** Morbi Exitus.*

Dies Mo. Vom. Mar
37. * 1. * 18.

Sputa ergo primo nisu magna copia rejecta, alba, viscida, striata, subrotunda, insipida, inodora sunt, tenacique saliva non pauca miscentur, turbida, spumosa, subpallida est, quæ mingitur, urina, sparsamque tenet albam hypostasin, non dimittit ægrum febricula, anorexia, sitisque, minor est ad jugula sudor, pectus tamen occupat, ægerrimus est ad latera situs, facilior aliquanto

 spiri-

spiritus, usu clysterum excepto, eadem ipsa sunt quæ in primi morbi stadio adhibebantur auxilia; victus e Cerealibus aqua multa dilutis paratur, & interim in diem po-

Dies Mor. Vom. Mar sterum observationes deferuntur. Inchoat æger tussiendo,

38. * 2. * 19. & expuendo diem *, excreta ejusdem indolis sunt, & copiæ, easdem possidet lotium proprietates, durat adhuc febricula, non multus est corporis calor, non arida cutis, crescit a prandio tussis, sputa multa simillima primis per diem screantur, spiritus difficultas decrescit, pondus valida in inspiratione sinistrum latus occupat, jugis est in dorsum decubitus, alvus sponte fluit, exigua, compactaque dejicit: Nocte parumper quiescit, sed posteriori simi-

39. * 3. * 20. lis Aurora * resurgit; sputorum ejecta congeries præcedentem excedit, qualitas non recedit ab illa, turbida, spumosaque minus urina, simili modo pectus sudore madescit, pulsus eosdem servat rhitmos, imminuta est paululum sitis, vox usque ad hoc tempus subrauca clarescit, incalescit post prandium, tussitque paulisper, parum est quod tota hac die per sputa rejicitur. Animo diluendi, acremque materiam demulcendi serum lactis Caprilli cicoreo alterati ad uncias octo mane sumendum præscribo.

40. * 4. * 21. Nox a descripta parum admodum differt, sub diem * tussis vomendi conatus excitat, maximamque sputorum copiam naturæ primorum promovet; matula clariorem præbet urinam, eneoremate pallido fundum ejus occupante divitem, magis, magisque facilis fit spiritus, extinguitur sensim, sensimque sitis, dulcia sputa nonnulla albo-flavescentia pectore ab imo in diem educuntur, tussis, & sudor recurrit, pauca iterum, & densa venter spote depo-

41. * 5. * 22. nit. Flaviora sunt mane * sequenti projecta magna copia sputa, quæ nox cæteris magis quieta paravit, easdem tenet urina dotes, febris vix percipitur, perexiguus est calor, pectus sudore madet, facilius ducitur spiritus, vi sputa nonnulla ab ima pulmonis parte trhauntur, eaque dul-

42. * 6. * 23. cia, viscida, aliisque flaviora; est mitis admodum tussis,

43. * 7. * 24. sitisque, Morbi systema per binos dies * idem servatur.

Septi-

Septima a rupta vomica die hora matutina ita recrudescit
tussis, ut maximos excitet vomendi nisus, quos inter tanta
sputorum copia rejicitur, ut nulla usque adhuc similis visa
sit, eaque levia, alba, æqualia sunt, nonnullaque fla-
va intermixta densiora tenent. Minor est a prandio tussis
calorque, arteriarum pulsus vix a naturali statu recedit,
sudat adhuc pectus, ad citrinum colorem tendit lotium
quod albam hypostasin pyramidalis quasi figuræ in matulæ
fundo deponit, alvus exigua figurata, ut præteritis diebus,
hac etiam sponte egerit. Præscripta hactenus remedia, li-
cet in ejus generis morbo valde conferre observarim, va-
lidiora tamen pulmonesque proximius respicientia indica-
tio requirere videbatur; ad temperantia proinde demul-
centia, mundificantia, abstergentia, expectorantia, an-
tiseptica, tonica animum converti, parvosque bolos ex
terebinthina, olibano, myrrha, balsamo Peruviano,
paucaque balsamo sulphuris dosi sociatis paravi, * & ne 44. * 8. * 25.
quid optandum superesset, vires reficiendi, & humectan-
di causa Lac Asininum ad uncias octo mane sumendum
præscripsi, victumque e frumentaceis simplicissimo juscu-
lo, aut lacte incoctis bis in diem paravi, quibus deinceps
etiam olera adjunxi, vociferationem, omnesque vehemen-
tiores animi motus, iramque præsertim perniciosissimam
esse ægrotanti significavi, compescendaque jussi. Annuit
votis eventus; sensim enim sensimque * humorum pulmo- *Spatio nem-
nes obsidentium concoctio perficitur, sputa fluvidiora, pe Mens. unius.
faciliora, copiosioraque fiunt, colorem subflavum aqui-
runt, levia, æqualiaque sunt, pondus lateris minuitur,
spiritusque facillimus reditur, urinæ copia jugiter quoque
crescit, coloremque subflavum adipiscitur, & sedimen-
tum album levem, & æqualem in matulæ fundo deponit. *Dies*
Critica hæc morbificæ materiæ excretio per gradus ad *Mor. Vom. Apr.*
diem ferme trigesimamoctavam * a rupta vomica maximo 64. * 38. * 25.
symptomatum levamine, & ægrotantis emolumento quo-
tidie crescit: deficit enim nocturnus sudor, facilis fit in
latus utrumque decubitus, facillima respiratio, redit ap-
peti-

Dies Mor. Vom. Maj 71. * 45. * 1.

petitus, & ſomnus, exurgunt vires, functiones, verbo, naturalem ſtatum omnes aquirunt; incipiunt hinc ſputa defici, & ita porro minuntur, ut circa quadrageſimam-quintam * ſecundi hujuſce morbi diem exſiccati ulceris manifeſtiſſima ſigna videantur, nihilque aliud reſtet, quam Euchimis alimentis juxta diætetices regulas ingeſtis, priſtinas ægroto vires, reſtituere, & graviſſimi morbi, ruſticanum aerem, motumque pro viribus conſulendo, curationi faſtigium imponere.

Curioſius quam par eſt morbi hujus hiſtoriam exaraſſe tibi fortaſſe videbor quum levia quæque ſectarim, & ad nauſeam uſque repetiierim. Verum numquam ſatis graphice delineatam hanc eſſe putavi quum te alloqui ſtatuiſſem; imo ne quid tibi deficeret practicas obſervationes quaſdam ad morbi naturam, diagnoſim curationemque ſpectantes huic ſubnectere opportuniſſimum duxi.



PRA-

PRACTICÆ ANIMADVERSIONES.

§. 1.

MIxta quæ in hoc morbo observantur phænomena, non ita facile speciem ejusdem deffinire permittunt; alia enim ad veram, nonnulla ad notham Peripnevmoniam refferri posse, historiam sedulo percurrenti facillime patet. Quoniam vero varii gradus illam inter, & istam occurrunt qui affectionem hanc ad magis, vel minus inflammatorium determinant, multiplicem quoque medendi methodum requirere videbantur.

§. 2.

Duas prima morbi facies indicationes offerebat, symptomata nonnulla Phlebotomiam, alia Catharsin postulabant; inflammationis timor illam extemplo, hanc cacochiliæ signa petebant: urgentiori venam tundendo satisfit, tenui deinde diluenti, refrigeranti demulcenti, blande attenanti potu alteri indicationi via molitur, cuique postridie eo libentius occurritur, quod phœnomena inflammationem minitantia remiserint.

§. 3.

Diligentissimi Sydhenamii observatio, qua evincitur corpora habitu crassiori prædita, floremque ætatis præsertim prætergressa, a repetitis venæ sectionibus in hoc morbi genere lædi, licet pituitosam materiam in sanguine redundantem, pulmonibusque fomitem inflammatorium præbentem per venas educi existimaret, quamdam mihi dirigendi sanguinis missiones tradidit normam, a qua, nisi quatenus emergentia symptomata postulabant, quamtumvis venam quinta vice secarim, nulla ratione recessi, quinimo coriacea sanguinis crusta post tertiam ejusdem missionem conspicua, tanti apud me solum valvit ut cæteris rationibus pondus adderet ad venam quarta, & quin-

ta

ta vice tundendam, cum satis persuasum haberem non esse per se firmum ulterius mittendi sanguinis argumentum, quidquid contra cæleberrimos viros Huxamium, & Haen sentiat, durissima Germanorum corpora curans, cæteroquin clarissimus Trillerus, quum primus post detractionem centum fere unciarum sanguinis, superficiem ejusdem obtegere, extrema etiam ægroti jactura, alter in sanis etiam hominibus, hanc observarit: & celeberrimus Tissøt ad rem sic sua lingua loquatur: Ilya d'allieurs à cette égard plusieurs bizzareries, qui dependent des plus petites circostances; ainsi, il ne faut point se fonder uniquement sur cette croûte pour regler les saignees; & en general, il ne faut pas trop croire que l'etat du sang dans la palette puisse nous faire juger avec certitude de son veritable état dans le corps (*a*): Animoque præterea versarer observationem jamdiu ab Asclepiade factam (*b*), Populum nempe Romanum, atque Athenienses, non tam commode, ac Hellespontum inhabitantes sanguinis missionem in pleuritide, & peripnemonia sustinere, quod primi a meridie propius, Austris expositi, calidiore, & humidiore, hi vero Aquilonis, & Favonii flatibus obnoxii, frigidiore, & siccio re in aere vivant.

§. 4.

Ocurrebant præterea menti multa, quæ a suis Ballonio, Dureto, Martiano, Hippocratis geniis, ad hanc rem collegerat celeberrimus Baglivi, plurimis Romano in aere medicinam facientibus non satis notus, eaque tantæ auctoritatis erant, ut in determinanda phlebotomia suspenso semper talo processerim: ait (*c*) enim ex Martiano, duobus tantum in casibus Hippocratem secasse venam, in ea silicet pleuritide quæ a toto procedens, sanguinis plenitudinem præsefert mediante dolore ad claviculam, & humerum tendente, sive gravitate ad brachium, & circa mammam,

(*a*) *Chap. 4. §. 5. de l' inflamm. de Poitrine p. 99.*

(*b*) *Secundo Volum. celerum vel acut. passionum.*

(*c*) *Prax. Med. lib. 1. in Append. ad Pleur.*

mam, & in pleuritide ſicca, in qua minimum ſputi educitur; In aliis ſpeciebus mentionem ejus non feciſſe, quippequæ aut nihil prodeſt, ut notat lib. de Ratione Victus in acutis tertio, & quarto; vel potius obeſt, tum ratione humoris peccantis, tum virium quæ debent eſſe validæ propter expuitionem, ſine qua æger ſervari non poteſt. Et ibidem ex Ballonio, Medicos his verbis objurget: Cum in pleuritide vexant dolores venam ſecamus, cum augentur audientius ſecamus: an id bene? Nequaquam; quia dum pus fit, dolores ſurgunt: an ideo tam ſæpe vena ſecanda? Naturam impedimus; unde nil mirum ſi multi moriuntur. Deinde, ſic ex Dureto loquatur: Si vero infera ſit pleuritis ſilicet dolor vergat ad diaphragma, & ſpurias coſtas, tunc rheuma conſiſtens non detrhaet phlebotomia, ſed purgatio jubente Hippocrate. Et denique ex Ballonio nos moneat, dolores laterum in illis quibus corpora compacta ſunt, firma & ſolida, difficilioris curationis eſſe, velint nolint Medici repetitas venæ ſectiones non conferre, cum ſpiraculorum cutis obſtructio, quominus corpus exhalet, impediat, ægrique frigido aeri corpora ſua exponant, nec lecto continere ſe velint, quemadmodum in multis ſe obſervaſſe teſtatur.

§. 5.

Non ea tantum, quæ a memoratis modo viris præcepta deſumpſi mittendi ſanguinis modum docuere; ſciebam enim eximios in arte viros, Boerhaavium, Wanſvieten, Huxam, & nuperrime Joannem Ooſterdyk in Trajectina ad Rhenum Academia Profeſſore celeberrimo, eadem ipſa monita diſcipulis ſuis tradidiſſe. Miſſio ſanguinis, inquit primus (a), eouſque celebrata, ut in hoc morbo, loquitur de vera peripneumonia, nocet admodum, in notha videlicet, ob debiliora viſcera; nimiſque aliena humida lenta; hinc primo juvare viſa, mox mala auget. Alter eumdem hunc aph. commentariis illuſtrans, hoc morbo minus tutum videri pectoris anguſtiam iteratis ſanguinis miſſionibus levare, hanc quidem, primo phle-

(a) §. 869.

 bo-

botomia minui, nimis tamen larga, vel sæpius repetita, lentorem pituitosum nothæ peripmeumoniæ materialem causam augeri, adeoque nocere affirmat. Tertius vero (a) sic scribit. Si pulsus debilis, & lentus. æstus minor, vel naturali non multo major, urina pallida, & cruda, cæteraque sic occurrant, admodum cautus in ægroti pulmonici sanguine detrahendo sum, quamquam pondus, & oppressio pectoris valde urgere possint, tanto magis, addit, (b) si catarrhalis aliquid peripneumonia præseferat. Postremus vero in institutionibus medicinæ practicæ in Auditorum usus evulgatis (c) notham peripneumoniam fallax malum venæ sectionem, sed rarius factam requirere docet. Multa adhuc ad hanc rem spectantia testimonia proferre possem; sed cum laudatorum virorum auctoritas ea sit, quæ aliis comprobari non egeat, de iis quæ catharsin respiciunt semonem adgrediar.

§. 6.

Sola morte piandum crimen nonnullis visum est morbi hujus initio cujuscumque generis catharticum propinare; adeo enim terruit ignaros, ut eorum nomen sine horrore ferre non possent; Sagaciores tamen, & præstantiores in arte Medici ad trutinam probe revocata morbi natura, variaque ejusdem specie perpensa, eam tanti quandoque fecerunt, ut sine ejusmodi auxilii genere ægros servari non posse putarint. Primus omnium Hipp. ipse facta diligenti affectionis hujus per causas eam producentis divisione (d), non modo catharsin, sed emesin etiam ex veratro albo, thapsia, elaterio consulit, aitque alvum primis quatuor aut quinque diebus subduci oportere, & hoc paulo amplius, quo & febres obtusiores, & dolores leviores sunt, idque eo consilio, ut supernæ partes sint humoris exortes; hoc tamen summo judicio a medico præstari deberi, his verbis paulo post inculcat: Oportet igitur & infernam al-

(a) *Cap.3. differt. de Plev. & Perip.*
(b) *Cap. 2.*
(c) *Cap. 3. §.38.*
(d) *Lib.3. de Morbis textu 17.*

alvum neque valde supressam esse, ut ne febres sint acutæ neque valde egerere quo saliva sursum educi possit, & æger viribus valeat; textu vero vigesimosecundo ejusdem libri subdit: at si æger biliosus sit natura, quemlibet excedentem humorem, & cacholiam intellige, & non purgatus, correptus fuerit a morbo, priusquam salivam biliosam expuerat, etiam medicamento, bile probe purgato: lib. vero de victus ration. in morbis acutis (a), eadem quæ libro de morbis indigitaverat clarius repetit: si vero sub septo transverso fuerit dolor, ad claviculam autem de se significationem non præbeat, alvum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio: quid plura? tanti dejectiones alvi hoc in morbo fecit, ut tex. eodem quinquangesimosecundo purgationem clarissime his verbis præceperit: Medicamentum purgans quarta die exhibeto, verum per tres ab initio infusum per clysterem adhibeto, & si hinc non allevetur, sic subpurgato. Aretæus etiam veteris medicinæ decus (b) ait opus esse humores, & flatus post venæ sectionem deorsum versus trahere nitro, melle, ruta, resina terebinthi liquida sedem obliniendo, missionisque sanguinis loco, si quid majus impedimentum sit, acrem succum per clysterem in sedem immittere, puta salem cum nitro, aut terebinthi resina cum melle. Multa adhuc a veteribus maximæ notæ Medicis ad sententiam meam congerere possem, sed cum ferme omnes in Hipp. opinionem plus minusve concedant, non est cur in eorum placitis evolvendis ulterius operam perdam, cum præstet potius eorum doctrinam illustrium in arte Recentiorum praxi confirmare; sed antequam facio quem morbum pleuritidis nomine Prisci medicinæ parentes insigniverint paucis exponam, ne illos de mera tantum, & exquisita pleuritide loquentes ad peripneumoniam invitos trhaxisse videar. Verum quidem est eos, morbos hosce inter se distingui scripsisse, sed easdem utrique notas assignant, idque

(a) *Text. 12. & 52.*
(b) *De Curat. Acut. Morbor. lib. 2. cap. 10.*

que facile animadvertere licet, quod, quæ apud illos de pleuritidis caracthere leguntur, ad pleuritidem quidem refferenda ſint, ſed cum peripmeumonia conjunctam; etenim peripneumonia ſimplex, atque incomitata in eorum ſcriptis occurrit; de pleuritide verò, quæ peripneumoniam non habuerit adjunctam, niſi ſemel apud Hipp. (a), nihil uſquam invenio; unde, quam de pleuritidis curatione ex iis hauſi, protulique doctrinam, ad peripneumoniam ſimul poſſe referri non immerito judicavi, cum jamdiu Sydhenam. ipſe (b) ſic ſenſerit: quam ego, inquit, loquitur de vera peripneumonia, ejuſdem plane indolis cum pleuritide eſſe arbitror, atque ab illa in eo tantum differre, quod peripneumonia pulmones univerſalius afficiat: quod denique præſidia quæ ab Hipp. adverſus pleuritidem adhibebantur, a Recentioribus in notha potius, aut mixta peripneumonia commendentur.

§. 7.

Quicumque ergo Divini Senis tutiſſimam medendi rationem ſecuti ſunt, eandem tenuere viam. Thomas Sydhenam inter Anglos Hippocrates (c) ſuam ſic therapheiam exponit. Catharſin ergo celebriorem venæ ſectioni ſuccenturiabam, quæ ei ſatis rectæ ſubſtituitur in iis qui a largiori, & iterata ſæpius phlebotomia abhorrent..... A prima venæ ſectione, die ſequenti potionem Catharticam ex caſſia, ſenna, agarico trochiſcato manna, & ſyrupo roſar: ſolutivo, propino, poſtridie ſanguinem ſecunda vice mittere ſoleo atque interjecto die uno potionem catharticam modo præſcriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, ... ptiſanam ex hordeo, & liquiritia pro potu ordinario concedo; atque illa quidem methodo vincenda eſt peripneumonia hæc notha orta ab exundanti pituitoſa colluvie in ſanguine aggeſta ob hye-

(a) *Lib. 1. de morbis n. 25. & ſecundo n. 42.*

(b) *Obſerv. Medic. ſect. 6. cap. 4.*

(c) *Obſerv. Medic. ſect. & cap. citat.*

hyemis analogiam in pulmones explosa. Eadem, sed moderatior est æque celeberrimi Angli praxis. Huxam (a) frequentes alvi dejectiones hoc in morbo salutares affirmat: ut quolibet, inquit, altero die post unam alteramque sanguinis emissionem, educatur alvus, suadet Sydhenam; hoc vero in utroque respectu nimium excedere existimo; licet enim sanguinis detractio; & alvi quoque purgatio in principiis necessariæ esse possint, illam tamen repetere rarissime convenit, hæc autem maxima cum cautione tentari debet, si in primis repetenda est, nam in animi deliquium, & sudores, cæteraque proclivis est ager ...... Harum binarum evacuationum respectu aliquid observandum est, si nempe ægrotus materiem coctam, copiosam excreat, quod haud raro in hac quoque peripeumonia fieri solet, neque hæc, neque illa convenit, ac laxantia clysmata, vel mitiora eccoprotica sola ad minimum donec copiosa perdurat excreatio, sunt danda; Si vero inquit (b) catharralis quid mixtum habeat peripneumonia, sæpius purgantium bonum expertus sum effectum, licet ea in illis quas materiæ coctæ laudabilis comitatur excreatio omnino noceant quod Auctor quoque libr. 3. de Morbis section. 58. in scriptis Hippocrat. comendat. Baglivius quoque (c) præter Martiani, Dureti, Ballonii opinionem, suam, sic sententiam expromit. Ipse tamen ut cautius procedam soleo primis diebus alvum clysteribus mollire, etiam bis in die si magna sit cacochiliæ copia in præcordiis, & pulmo sit nimium inflammatus, quod si effectus inflammatorii multa signa non adsint, & lingua sit humida, urina non multum accensa, & calor non multum acris, purgatio etiam præscribenda ex cassia, syrup. rosat. aureo &c. Summus etiam Boerhaavius, & Svvieten praxim eamdem sequuntur, suadentque. Curatur, ait (d) hac

(a) *Cap. 3. dissertationis de Pleuritid. & Peripneum.*

(b) *Cap. 2. ejusdem dissert.*

(c) *Loco citat.*

(d) §. 873.

hac methodo cautiſſima ; mittatur ſanguis ex largo vulnere ; mox eluvatur alvus clyſmate , quod repetatur quotidie donec ſigna docuerint levari pulmonem ; quod Commentator egreggius his verbis confirmat : Talia autem purgantia quæ ſolvendi vi ſimul agunt , non autem ſubducunt de corpore liquidiſſima prodeſſe poſſe videntur . Prudentiſſimus Anonimus Auctor in adnotationibus ad Opera celeberrimi Tiſſot in Populi utilitatem vulgata (*a*) , ſic Gallica lingua nos monet. Lorsqu il ya une putridite abondante dans les primieres voies , on eſt obligè d'uſer des purgatifs , comme des èmètiques . Denique ſupra laudatus Ooſterdyk (*b*) , Aphoriſtico , ut ſolet , modo hujus morbi therapejam proponit : Clyſmata , inquit , reſolventia , ſtimulantia paulo fortiora quam vera , peripneumonia , requirit . Quid ſi mitiora eccoprotica anacatharſi conducere putem ? ſic in ſuo Tabidorum Theatro dum regulas evacuationi dicatas præſcribit patientiſſimus obſervator Bennet nobis tradidit inquiens (*c*) : dum anacatharſi ſtudendum præmittenda minorativa . Longus nimis eſſem ſi auctoritates omnes Celeberrimorum Virorum ad purgationem tuendam vellem una epiſtola ſimul congerere ; ſatis enim ſuperque ex horum , quos attuli, praxi conſtare puto , non ſine maximo conſilio , me talem morbum deſcriptis auxiliis adgreſſum fuiſſe. Nonnulla modo de maxima Veſſicantium utilitate dicenda ſuperſunt .

§. 8.

Tanti apud veteres translatio materiei hunc morbum facientis ad inferiores partes habita fuit , ut Pater Hippo: hanc metaſtaſin tutiſſimum ſalutis ſignum arbitrarit , ait namque (*d*) : Abſceſſus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis omnes quidem utiles ſunt . Recentiores autem naturæ molimina ſecuti , hanc arte excitare conati

ſunt -

(*a*) *Cap. 4. de Pectoris inflammatione .*
(*b*) *Eodem §.*
(*c*) *Pag. 120.*
(*d*) *Coac. Prænot. ſect. 2. cap: 15. num. 495. , & 510. Edit. Makianæ .*

ſunt. Baglivius (a) Boerhaavius (b) Svvieten (c) Huxam (d) Tiſſot (e) Trillerus (f) aliique celeberrimi memoratis partibus admovere, uſumque perſuadent; immo Aretæi forſan auctoritate ſuffulti Recentiores, affecto lateri hoc remedii genus maximo ægrorum commodo multis abhinc annis imponere cæperunt. Inquit enim (g) Si ad quamcumque partem corporis humores diſtrahantur, & ſpiritus, ad extima evocetur quibus pulmò oprimitur aliquod mali ſolamen invenias: omni enim ex parte Pulmonaria obſidenda, impugnandaque eſt; Re autem vera (h) analogum a memoratis Auctoribus propoſito, ſed crudelius conſulit remedium; magnam nempe Cucurbitulam dolenti loco ſuperimpoſitam, eoque conſtructam modo, ut flamma ſubteraccenſa per aliquod temporis ſpatium perduret, qua extincta, ſcarificationem jubet, ut tanta ſanguinis copia, quanta vires patiuntur, educatur. Poſt illum elegantiſſimus Celſus (i) mitius, ſed conſimile propoſuit auxilium his verbis. Recte etiam ſynapi ex aceto ſuper pectus imponitur donec ulcera puſtulaſque excitet, & tum medicamentum quod humorem illum citet; cap. vero 7. ejuſdem libri. Prodeſt etiam, inquit, impoſitus ſuper pectus ſal bene contritus cum cerato miſtus quia leviter cutem erodit, eoque, impetum materiæ qua pulmo vexatur, evocat. Hæc veterum inventa noſtra hac ætate primus renovavit Mons-Puſſullanus Doctor Turquet de Mayerne (k) deinde Richardus Mead (l) Franciſcus Raimond

(a) *Prax. Med. lib. 1. cap. de Pleuritid.*
(b) *Aph. 874.*
(c) *Comm. in eundem.*
(d) *Diſſert. laudata p. 208.*
(e) *Memorato cap. p. 107.*
(f) *Libello de Pleur. cap. 4. p. 34.*
(g) *Lib. 2. de Curat. Acut. Morb. cap. 1.*
(h) *Lib. 2. Acut. Morb. cap. 10.*
(i) *Lib. 4. cap. 6. de Medicina.*
(k) *Libro de Morb. intern. Syntagm. cap. 5. de Pleuritide.*
(l) *Monit. & Præc. Medic. ſect. 7. de Pleurit.*

mond, Robertus Whytt, Pringle, Huxam, Tissot, aliique non pauci, qui Cantharidum virtutem in similibus, aut congeneribus morbis, non sine magna ægrorum utilitate explorarunt. Neque eo tantum consilio Recentioribus placuit hoc uti remedio, ut materiem pectus lædentem extra vocarent, quod veteribus erat in votis; verum cum alkalinam summe attenuantem incidentem, & resolventem virtutem in cantharidibus & synapi animadvertissent, ad rem maxime hoc remedium facere putarunt. Re quidem vera Romanæ quondam Reipub. Medicæ ornamentum & gloria Georgius Baglivi dissertationi egregiæ de usu, & abusu Vessicantium, sic finem imponit (a). Morbi igitur, in quibus præ cæteris convenire possunt vessicantia, sunt... Catharri a viscida materia pendentes, & irruptionem minantes in pulmones, vel aliam nobiliorem partem, nares, oculos, & fauces, pectus &c... Demum in omnibus aliis, in quibus necesse est solvere, divellere, derivare, excitare, & similia agere.

§. 9.

Hactenus de potioribus remediis quæ primis morbi temporibus præscribi solent, fortasse etiam pluribus egi: pauca modo de Fotubus, Alterantibus, & Diæta: Quæ ad illorum usum & utilitatem pertinent, e divinis Hippocratis scriptis (b) & a citatis Auctoribus, omnia memoratis antea locis decerpsi. Horum vero tanta est vis, ut nil magis efficaciter impactam pulmonibus materiam attenando, & resolvendo excreatum promovheat, tanto magis si eorum materia ex refrigerantium, relaxantium, & saponaceorum leviter diluentium familia desumatur, qualia sunt tenue lactis serum, ptisana ex hordeo, avena, liquiritia, cæterisque similibus, quæ si limonum succo saturentur, sæpe, tepideque bibantur, rem magis utilem præstant, præsertim vero si mel istis addatur, & acetum quem admodum Hipp: (c) facere consuevit & lib. 3. de mor-

(a) *Pag.* 438.

(b) *De Ratione Vict. in Morbis Acut. num.* 11. *&* 12.

(c) *De Victu. Acut. n.* 30.

morbis (a) passim præcipit. Quibus omnibus Aretæus (b) subscribit. Eadem ipsa est Celebrium Recentiorum methodus, hanc nobis consulunt Sydhenam, Boerhaave, Svvieten, Huxam, Baglivi, Tissot, aliique similis notæ Medici, quin imo oximel scilliticum moderata dosi syrupis pectoralibus sociatum, post debitas venæ sectiones proponunt, eique camphoræ nonnihil miscendum eo consilio suadent. De diæta modo, hoc in morbo necessaria pauca loquar; Sed opere prætium est nonnulla prius de hippnoticis quorum apud me fuit usus, ex Auctoribus desumpta præponam.

§. 10.

Ego quidem non inficior opiatorum usum in mera peripneumonia notha tantæ non esse utilitatis, & ab Auctoribus probari, quantum in vera, & pleuritide fieri solet, hunc potius sub morbi initio, licet deinde inclinante conveniat, noxium esse sentio: Verum symptomata veræ peripneumoniæ communia, ut doloris, & tussis violentia, huic quandoque junguntur, morbique fomitem & causam ita adaugent, ut eis necessario peculiaribus sit occurrendum auxiliis; Etenim cum dolor sit stimulus quo sanguinis circuitus accelleratur, & accenditur, adque partem dolentem plus justo avocatur; ejusdem stasis, & inflammatio in loco dolore affecto necessario debet augeri, si præterea tussis agitatione nimia qua partes commovet, simul adjungatur. Aretæus, (c) licet ad somnum conciliandum ne furor hominem corriperet, somnificia medicamenta propinare non dubitavit. Sydhenam, Huxam, Baglivi, Boerhaave, Svvieten, Trillerus, Tissot (d) ad dolorem, tussimque sedandam ob memoratas modo rationes, anodyna præscripserunt, Videndum modo num regula diætetica toto morbi decursu servata, Auctoritatibus, & rationi accommodata fuerit.

(a) *Num. 15., & 18.*

(b) *Libris 1., & 2. de Cur. Acut. morb. capit. 10. & 1.*

(c) *Lib. 2. Acut. Mor. capit. 1.*

(d) *Lib. supra citat.*

§. 11.

Pars hæc medicinæ practicæ ab Hippoc. (*a*) Sacramento culta nostris hisce diebus a quibusdam adeo parvi fit, ut ad morborum curationem ferme nihil conferre judicetur; Alia tamen fuit Divini Senis opinio qui integrum librum de Ration. Vict. in morbis acutis, & Aphorsim: Sectionem primam in Posterum utilitatem conscripsit; Præcepta hisce voluminibus compreheensa adeo utilia, & salutaria suis in ægris expertus est Vir maximus Antonius de Haen, ut discipulis suis, in Nosocomio Practico Vidobonensi, ipso duce imitanda proposuerit, nobisque ejus præstantiam (*b*) commendarit: Quem ego toto morbi decursu victum præscripsi, eundem ipse suis ægris imperabat: Decoctum, puls, cremor hordei, avenæ, eadem ipsissima sunt quæ de hujus morbi regimine diætetico Sapientissimus Cous (*c*) nobis mandavit.

§. 12.

Hæc omnia fuere præsidia quæ ante judicationis tempus ad morbificæ materiæ coctionem promovendam adhibui, sine qua de cujuscumque morbi perfecta crisi Medico jure desperandum est: cum enim tota medicinæ practicæ vis in debita materia corpus lædentis pepansi, deinde evacuatione consistat, in id Medicus incumbere debet, ut naturæ conamina totis viribus ad opus adiuvet. Mutatio hæc quæ statutis a natura diebus ut plurimum fieri solet, sic ab Hipp. (*d*) post enumerationem symptomatum peripneumoniæ, describitur: Hæc autem patitur homo minimum diebus 14., ad summum una, & 20., & per hoc tempus tussit vehementer, & una cum tussi purgatur; primum saliva multa, & spumosa, septima vero, & octava die ubi febris in vigore fuerit, si humida sit peripneumonia, crassior prodierit, sin minus, non, nona vero, & decima cum virore pallida & subcruenta, duodecima usque ad decimaquartam multa, & purulenta; Atque

(*a*) *In Jurejurand. n. 20.*

(*b*) *Cap. 1. Vol. 1. suorum Operum de Ratione medendi.*

(*c*) *Memorati lib. num. 52.*

(*d*) *Lib. 3. de morbis n. 16.*

que hoc in his contingit quorum natura, & corporis affectiones humidæ sunt, & morbus fortis est; quorum vero, & natura, & corporis constitutio sicca est, in his minus: Siquidem igitur decimaquarta die resiccatus fuerit, & non amplius purulentum tussiendo rejecerit, sanus evadet, sin minus interroga ipsum an dulcior sit saliva, & si affirmaverit, hoc scito pulmonem suppuratum esse (*a*): Quicumque vero peripneumonici non purgati sunt judicatoriis diequs sed mente moti decimamquartam diem effugerunt eos periculum est suppuratos fieri(*b*): si peripneumonia correptus in judicatoriis diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita, suppuratus fit (*c*): Si ad dies perveniunt duos, & 20., & febris remittat, & in his per sputum purgati non fuerint, suppurati fiunt. Hic est morbi exitus, ni debita Anacatharsi solvatur.

§. 13.

Verum non unam hanc esse crisis viam Hipp: ipse (*d*) his verbis apertissime docet. Quicumque vero dolores ex his locis, de morbis pulmonum agit, neque per sputorum expurgationes, neque per fæcum alvi dejectionem, neque per venæ sectiones, & victus rationes, & purgationes sedantur, eos suppurationem concitaturos esse sciendum est: Libro vero de Rat. vict. in morbis Acut. (*e*) multitudiuem, & urinarum crassitiem ad morbi solutionem quoque conferre observavit, quod & Aretæus lib. 2. de causis & signis Acut. morbor. capit. 1. ubi crisin etiam etiam e vehementi narium hæmorragia adjungit, post illum probe notavit. Inter Recentiores clarissimus Huxam, criticis evacuationibus, sudores passim in sæpius laudata dissertatione recenset; verum caput secundum ejusdem sic claudit. Quamquam varias has, suæ relevandæ,

 me-

(*a*) *Idem Aph. 8. sect. 5. & coac. Prænot. cap. 15. sectiōn. 2. num. 520.*

(*b*) *Lib. 1. de Morbis n. 10.*

(*c*) *Ibid. num. 24.*

(*d*) *Prænot. libro, sect. 2. cap. 9. num. 18. & Coac. Prænot. sect. 2. cap. 18. n. 490.*

(*e*) *Num. 53.*

methodos in morbis pulmonicis eligit natura; ejus tamen proprium, & consuetum conamen est excreatio, & donec hæc bene procedat, ejus conamen quidem juvare, numquam vero interrumpere debemus....... ita ut reliquæ evacuationes tantumodo naturæ diverticula esse videantur, & tunc materia morbosa tantum fortius per eas transprimitur, quantum via regia, vel clausa est, vel valde molesta. Cum ergo toto judicationis tempore ad crisim quamcumque inutilis fuerit naturæ labor, unus ab Hippocrate præcognitus expectandus erat in Vomicam aut Empyema exitus, qui, quomodo prævisus, & qua methodo novus hic gravissimus morbus curatus fuerit, modo dicendum erat.

§. 14.

Vertente decimaquarta morbi die futuræ suppurationis signa nonnulla jam supra in historia morbi observari dicebam. Hæc autem in dies nummero & ordine ab Hippocr. descripto ita crescebant ut graphicam in ejus monumentis ægri mei descriptionem viderem: sic namque (*a*) scripsit: Qui suppnrati fiunt maxime ex pleuritide, & peripneumonia, eos calores comitantur interdiu tenues, noctu vehementiores, & nihil memoratu dignum spuunt, & circa collum, ac claviculam sudant, & oculi cavi fiunt, malæ vero rubent, his digiti quidem manuum summi calescunt, ac scabri reduntur, ungues autem adunci fiunt, ac ipsi perfrigerantur & circa pedes tumores habent, & per corpus pustulas, & abstinent a cibis: eandem hanc prædictionem repetit in Prognost. libro (*b*) variis in locis (*c*) Qui suppurati, inquit, futuri sunt primum salsuginosum spuunt, deinde dulcius (*d*) Lateris inquit dolor cum febre diuturna puris eductionem fore significat: Horrore affecti frequenter ad suppurationem deveniunt. Ipse quoque Aretæus

(*a*) *Coac Prænot. sect.* 2. *cap.*15. *num.* 560. 70.
(*b*) *Sect.* 2. *cap.* 10. *numero* 250. 60.
(*c*) *Num.* 600.
(*d*) *Num.*640.

tæus (a) exitum eumdem prænuntiavit his verbis: Cæterum si morbus productior sit, dolor est pertinax, & humida fit expurgatio, tunc purulentum hominem fore sperato. Quodnam in latus, & qua lateris parte suppurationis hujus sedes esset, gravitatem in latus dexterum (quod Hipp. (b) optandum esse scribit) doloris situm satis demonstrare docuit Hippoc. (c) his verbis: Si vero suppuratio fuerit dumtaxat in altero latere, interrogare oportet ægrum in latus sanum deccumbentem si quod ei pondus desuper impendere videatur; si enim hoc fuerit, in altero latere suppuratio est in quo pondus affuerit; & Coac. Prænot. (d) Quibus juxta mediam costam dolor fuit, media pulmonis pars ægrotat, quibus ad septum transversum, inferna.

§. 15.

Dignosticis hisce certissimis signis de abscessu, & ejus sede certus, audiendum erat circa eruptionis ejusdem tempus Divini Senis Oraculum, quod ex Prognost. (e) & Coac. Prænot. lib. (f) clarissimis verbis idem eruitur. Rumpuntur autem, inquit in Coac., plurimæ vomicæ partim 20. die, partim 40., partim 60. Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus, & spirandi difficultas, & tussis cum sputatione, ad 20. diem, aut citius eruptionem expecta; Quibus autem leviora hæc sunt, serius pro ratione: supputare autem oportet tempus a quo primum doluit, aut gravatus fuit, aut febriit, aut, si, quando rigor corripuit. Necesse est autem præcedere & dolorem, & spirandi difficultatem, & sputationem ante eruptionem.

§. 16.

Hic est secundum Hippoc. pulmonalis Apostematis exitus,

(a) *Libris* 1. *de curat. Acut. Morb.* cap. 10., & 2. *de causis & signis Acut. Morbor.* cap. 1.
(b) *Lib.* 2. *de Morb.* n. 45.
(c) *Libr. Prægnost. sect.* 2. *cap.* 10. *num.* 240. 5.
(d) *Sect.* 2. *cap.* 15. *n.* 540.
(e) *Sect.* 2. *cap* 10. *n.* 270. 80.
(f) *Sect.* 2. *cap.* 15. *n.* 575.

tus, ſed non extremus mali terminus eſt: Etenim cum multiplex ille ſit (a), interdum ſilicet exſiccetur, alias ſerpendo, totum pulmonem occupet, quandoque membrana pus continens diſrumpatur, & quidem ita, ut effluvens inde pus, vel in thoracis, vel mediaſtini cavum, vel in bronchia, & pulmonales veſſiculas, aut celluloſam pulmonis ſubſtantiam feratur; Aliquando deniq. ut Hippocrati lib. 1. de Morbis (b) placuit, in latere tumorem, & abſceſſum faciat, ſollicitus, & anceps animus erat, num in mortem vel lentam, vel ſubitam, vel ſanitatem futurus hic eſſet: Sciens autem eos maxime, licet ægre, ſervari quibus vel exſiccatur, vel rupto, juxta Aretæum (c) pus lente in bronchiorum ramos deponitur, indeque ſenſim erumpit, & ex ſimptomatibus quæ in morbi decurſu obſervaveram, non exiguum ab hoc in pulmone ſpatium occupatum iri, proindeque difficile admodum exſiccari poſſe prævidens, in id ſtudium omne, & operam contuli ut ſaltem alterum aſſequi poſſem; Hinc eſt, ut ſtatim ſub initio, dum ipſum gignebatur, tam per externa, quam per interna laxantia, emollientia, mucillaginoſa, blanda, oleoſa, dulcia, bechicis, & blande expectorantibus intermixtis ſuppurationem accellerare tentarim, donec inſtaret eruptionis tempus ab Hipp. per proxima ſigna ſuperiori §. indicatum, tunc juxta ejuſdem conſilium (d), leviter irritantibus de oximelle ſcillitico, dilutis ſucco limonum ſaturatis, & calide ingeſtis, hanc molliri ſategi, quod, ob ægri conſtitutionem, ſymptomatum, & morbi naturam, die 37., ex quo rigor illum corripuit, contigiſſe, jam ſupra in hiſtoria memoravi: Hactenus Hippocraticæ doctrinæ veritatem primi morbi eventus luculenter confirmavit: Videndum modo ſupereſt quæ fuerit ejuſdem de ſucceſſione morboſa ſententiam.

Quem-

(a) *Vide Aretæum lib. 2. de ſign. & Cauſ. Acut. Morb. c. 1.*

(b) *Num. 11.*

(c) *Lib. 1. de ſignis, & Cauſ. Diuturn. affectuum capit. 2.*

(d) *Lib. 2. de Morb. n. 44. traditum.*

§. 17.

Quemadmodum in externa inflammatione quacumque quæ abſceſſu finiatur indicatio curativa poſtulat ut collecti puris exitus promovheatur, genitum ulcus detergatur, & exſiccetur, ſic in pulmonalis Apoſtematis curatione indicationes omnes eo dirigendas eſſe, eadem ipſa dogmatica medicina requirit. Quo autem temporis ſpatio, quibus ſignis prævideri poſſet, ſummus idem Medicinæ parens Hipp., qui ſuperioris morbi naturam, curandi, & exitum prævidendi rationem docuerat, id ipſum indicare debebat. Re enim vera de ſuppuratis, more ſibi conſueto, ſermonem habens (a), inquit eos, qui ex pleuritide ſuppurati fiunt ſervari, ſi intra 40. die ex quo ruptio facta fuerjt ſuperne repurgentur, ſin minus ad tabem tranſire: ubi vero de ſignis ſalutem promittentibus (b) loquitur, ait bonum eſſe omnibus circa pulmonem morbis, facile morbum ferre, a dolore liberari, ſputum facile educere, bene ſpirare, non ſitire, totum corpus æqualiter caleſcere, ac molle eſſe, ſomnos, ſudores, urinas, alvi dejectiones bonas eſſe, hominemque ſervari poſſe, ſi hiſce omnibus bonum quoque ſputum acceſſerit. Libro autem Prognoſtico: (c) ſuperſtites potiſſimum eos omnes futuros aſſerit, quos febris eodem poſt ruptionem die dimiſerit, qui cibos celeriter appetant, & ſiti liberati ſint, quorum alvus tum exigua, tum compacta dejiciat, qui pus album leve, ejuſdem coloris ſine pituita, & citra dolorem, & tuſſim vehementem excreent; hoſque optime, & celerrime liberari, quibus hæc omnia accident, ſin minus, hos, quibus hæc proxima contingent.

§. 18.

Licet autem hæc omnia morbi fauſtum præſagiant exitum, timorem tamen omnem non eripere Hipp. ipſe (d) advertit; inquit enim a maturatione, & ruptione Apoſtema-

(a) *Aph. 15. ſect. 5.*
(b) *In Coac. Præn. n. 475. 85.*
(c) *Sect. 2. num. 280.*
(d) *Lib. 1. de Morb. n. 14.*

matis opus esse ut sursum pus vertatur, totumque expuatur, & ventriculus in quo continebatur considat, & exsiccetur, ut æger sanus evadat; quod quantum difficultatis habeat, fidus ejus interpres Galeanus (a) his verbis declarat: Neque enim citra tussim expurgari possunt, illisque tussientibus laceratur locus; Itaque quasi per mutuas operas malum illis in orbem redit, quæ namque lacerata sunt rursus phlegmonem excitant; secundo rursus phlegmonem maturari, & pus expurgari desiderant.

§. 19.

Aretæus etiam diuturna observatione edoctus (b) ubi de puris abscessum facientis proprietatibus, & evacuatione loquitur, sic prognosim suam instituit. At si jam rupta Vomica sit strangulatus discrimen impendet, si multum, subitaneumq: pus emanavit, si pedetentim vero emittatur, exacte sanitas advenit: Varias deinde puris conditiones, & vias per quas excernitur recensens, addit: Utque in summa de pure dictum sit, quæcumque alba feruntur, concocta, inodora, levia, rotunda, & celerius extussiuntur, aut per alvum deturbantur, hæc tuta, & salutaria sunt... Ad hæc habitum simul animadvertere convenit, & quæ morbum comitantur; nam si excreationem bene tolerat, febre vacat, recte concoquit, bene coloratus est, bene ad cibos se habet, si facile extussit, si arteriarum motus bonus est, si vires firmæ, ægrotus perniciem evadit. Subdit denique consideranda esse loca, quæ ab Apostematibus depascuntur, & ab his brevitatis vel longitudinis morbi, salutis, vel interitus præsagitiones desumendas esse, clauditque caput his verbis. Lien, jecur, & pulmo, & intersepturn celerius quidem pus ducunt, sed periculosa, & mortifera sunt.

§. 20.

Regiam materiæ pulmones obsidentis viam esse tracheam §. 13. Huxamius asserebat; dubitandum tamen non est

(a) *Lib. 5. Meth. Medend. cap. 11.*

(b) *Lib. de notis, & caus. diuturnorum Affect. cap. 9.*

eſt multam quandoque, ſive per azigon, ut Hieron. Fabrit. (a) Nicolao Novocomenſi, & Gabrieli Falloppio, ſive per phrenicas venas, ut Marco Aurelio Severino (b) placuit, inde ad ureteres defferri. Hujus generis evacuationem in Phytione (c) ſe vidiſſe memorat Hippocrates, & Joannes Freind (d) aliquando contingere ſcribit, quod quomodo fiat Huxamus idem, (e) ſic exponit. Quod ſi autem inflammatoriæ pulmonum obſtructionis reſolutio, aut coctio accidit, non pars ſolum in bronchiorum cava impellitur, & ita excreatur, ſed pars quoque in venas adhærentes tranſit, indeque cum reliquo ſanguine ope communis circuitus commovetur, donec tandem partim per urinam craſſam, turbidam, larga quantitate eliminetur, in qua id, quod deſidit copioſum, rubrum, vel flavum eſt, & in morbis peripneumonicis ſemper bona prænunciat.... quam craſſam ſubſidentem, rubicundam urinam in pleuritide ſecurum eſſe ſignum, eamque ſi craſſa, copioſa ſputiſque maturis conjuncta ſit auferre peripneumonias (f) obſervavit Hipp.

§. 21.

Summorum Præceptorum placitis de morbi hujus exitu, & varia criticæ evacuationis via ſic exploratis, juxta eorumdem therapejam, perniciosiſſimæ hujus affectionis curationem ſuſcipio, & ad ſputorum, urinarumque indolem, quantitatem, & utilitatem præcipuas obſervationes meas converto: Quamvis autem perfectam illam proprietatem a medicinæ Proceribus Hippoc. & Aretæo, §. 17., 19. exoptatam in illa ſputorum congerie primo impetu parvo artis conamine a natura projecta, ignemque febrilem ipſo eruptionis die non extingui obſervarim,

E pror-

(a) *Lib. de Oper. Chirurg. Cap. de thoracis ſect. in empiem.*

(b) *Lib. de Recondita abſceſſuum natura Conſult. ſingul. p. 26.*

(c) *Lib. 3. Epid. Ægr. 1.*

(d) *Oper. Omnium tom. 2. Comm. 5.*

(e) *Laudatæ Diſſert. cap. 2.*

(f) *Lib. Coac. Præn. n. 385. & de Vict. Acut. n. 53.*

prorsus tamen animo non dejicior, cum ægri sanguineo-pituitosam temperiem, ætatem, anni tempus indeque mixtam morbi indolem §. 1., tardumque processum, pulmonis affecti situm, fælici etiam præsagio, talia proferre posse phænomena, extremis §.17. verbis Hippoc. ipse spoponderit, & Holler: (*a*) rationibus confirmarit.

§. 22.

Ergo vires artis omnes ad ulteriorem morbificæ materiæ pulmonem obsidentis coctionem, & eliminationem dirigo, humorum acrem indolem demulcentibus, involventibus, simul corrigere, & aperientibus detersivis, ad exitum disponere, nitor: primæ indicationi parata ex melle, syrup. de Althea, è 5. radicibus aperitivis, dein per gradus terebintho, olibano, myrrha, balsamo peruviano, habitaque ratione temperamenti, etiam gutta aliqua sulphuris; alteri vero sero lactis cichoreo alterati, indeque lacte asinino, victu e cerealium familia, multa aqua diluto, satisfacio: hancque medendi methodum eo libentius amplector, & pressius sequor, quod una, tutior sit phtisin avertendi ratio, quippe sanguinis, aliorumque humorum perversam crasin corrigere valeat, quod absque discrimine vitæ haud negligi posse Bennetus, dum nemini cui pulmo erosus fuerit, sine sanguinis totius edulcoratione, & reductione (*b*), se curatum vidisse affirmavit.

§. 23.

Hippocrates libris (*c*) de Morbis, de Internis affectionibus, & de Victus ratione in morbis acutis, ubi de pulmonum affectibus verba facit passim expectorantia, & aperientia remedia a meis non multum diversa memorat; Nucem pineam, & Galbanum in melle Attico, Abrotanum in aceto mulso, Hydromel, Oximel, Arum, Radicis Cappari cortex, & semina, Piper, Nitrum, Hysopum, Synapi, Nasturtium, ex quibus, prout magis, minusque excreatum promovere studebat, haustus tepide propinandos

(*a*) *In Schol. ad Aphor. 38. Sect. 7.*

(*b*) *Laudati Libr. cap. 22.*

(*c*) *Primo, Secundo, Tertio.*

dos parabat : Aretæus etiam (a) Decoctum ex Iride, Hyſopo, & Liquiritia in mulſa, vel Glycyrrhizam cum ſeſamo tritam, vel medicamentum ex Marrubio compoſitum, aut potionem aliquam, admixto Hydromelle, ex Paulo Ægineta (b) proponit. Eamdem uterque deinde tenuit in reliquo curationis ſtadio medendi rationem. Ille lib. de Internis Affectionibus (c) ubi de pulmonis arteria ſauciata loquitur, ægrumque ſic affectum eodem modo quo ſuppurati curandum præcipit: Sorbitiones farinæ, aut milii, ſi febre vexabatur; poſt purgationem, ſi ea quidem indigebat, farinæ coctæ, pinguis uncias decem, abſorbendas, & aquam bibendam præſcribebat, bis, aut ter de die, cibum hejuſmodi exhibebat, ſic paulatim donec venter roboratus erat procedere ſolebat, nam ex febribus, & inædia, licet os appetat, ventrem ſuſcipere nolle affirmabat, ubi vero accervatim ſuſcepit, inflammari; quare paulatim exhibendum eſſe præſcribit: polentam non ſalſam, puram, tenuem in lacte caprino coctam quam liquidiſſime abſorbendam, ingerebat; ſi vero decoctum in lacte ſorbere ſe poſſe negabat æger, lac bubulum tertia parte aquæ mulſæ admixtum propinabat, ſicque celerrime ſanum fieri ſpondebat. Aretæus autem (d) uno lacte, & ptiſana rem omnem confici poſſe putavit: Lac, inquit, aſſumptu ſuave, potu facillimum, nutritu ſolidum, & qualibet eſca a pueritia familiarius eſt, præterea viſui colore delectabile, medicamen arteriam non aſperans, guttur lævigans, ad ejiciendam pituitam facilem ſpiritum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, ulceribus dulce ſubſidium, & quolibet alio begnignius: Si quis multum lactis potat, nullo alio eget alimento, in morbo enim bonum medicamen eſt lac, & alimentum efficitur .... quod ſi alia eſca indigeat, ptiſanæ cremor, concoctu facilis, tenuis materiæ eſt.

E 2 Sum-

(a) *Lib.1. de Curat. diutur. Affect. cap. 9. & 10.*
(b) *Lib.3. cap.30., & 32.*
(c) *Num. 1.*
(d) *Laudati lib. cap. 8.*

§. 24.

Summus Bennet qui accuratiſſimas ad hunc morbum etiam ſpectantes obſervationes, vitæ prætio comparatas, in ſuo Tabidorum theatro, nobis reliquit, dum regulas expectorationi dicatas nobis proponit (a): Deterſivis, ajt, expectorantibus, eouſque incumbat Medicus donec ſputum debitum colorem aquiſiverit ..... Sanguinis autem, & ſuccorum æquationi, & maturationi incumbendum, quouſque morbus prorſus evanuerit, nam tonus viſcerum naturalis hiſce conatibus reducitur, & confirmatur: Inter expectorantia detergentia maxime proficua invenimus quæ ex Abiete, Pino, & Terebinthino conficiuntur. Medicamenta acria, & ſtimulantia, §.21., torpidis, eaque de cauſa congeſtionem nimis tollerantibus, ſolumodo concedenda: Ubi vero liquores ſalſedine & mordacitate ſcatentes, medicamentis, & diæta roſcido lentiori dicatis corrigere & edulcorare ſatagit (b) ſic ait: Huic negotio haud parum inſervire creditur Lac, omneque ejus genus, ſuis non indiget encomiis, quod quidem ſine diſpendio, aliquoties forſan in uſum ducatur; ejus vero ſerum præſcriptorum ſelectiſſimis alteratum, nullam incommoditatis ſuſpicionem præſefert.

§. 25.

Eadem eximius in arte, ſed hoc præcipue in morbo curando Richardus Morton (c) jam conſuluerat. Si vero, inquit, phtiſis a diruptione Apoſtematis glanduloſi ſeſe per tracheam exonerantis proveniat, purgatio pulmonum per hanc regiam viam copioſo uſu medicaminum expectorantium promovenda eſt, & ſi metus fuerit ſtrangulationis poſt primam Apoſtematis diſruptionem, a materia ſilicet nimis confertim in Bronchia irruente, expectoratio accelleranda eſt exhibitione Oximell: ſcillit:, vel aliorum leniorum vomitiorum ..... Majori parte collectæ materiæ hoc modo jam evacuata, reliqua etiam pars quo-

(a) *Pag.* 120.
(b) *Pag.* 146.
(c) *Phtisylogiæ lib.* 3. *capit.* 10.

quotidie educenda est assiduo medicaminum expectorantium usu; quo facto per Lacteam diætam, temperata julapia, medicamenta balsamica (pilul. nempe lib. 2. p. 86. & balsama lib. 3. p. 133. indicata meis pene similia) aquas minerales, calybeatas in aere rustico, & salutifero sumptas, curatio paulatim decursu temporis perfici potest; Quod sola lactea diæta, & balsamicis auxiliis mirabili successu alter ex Anglis celeberrimus Ricardus Mead (a) se præstitisse reffert his verbis: Vidi enim cum materiæ purulentæ usque adeo graveolentis, & fætidæ, ut adstantes cubiculum ferre non possent, libra una, aut altera admisto sanguine, tussi rejiceretur, & tamen lacteæ diætæ, & balsamicorum usu, interpositis, pro re nata, anodynis, in integram sanitatem æger restitutus est.

§. 26.

Celeberrimus Boerhaave, postquam peripneumoniam in abscessum transire docuerat (b) addit: Simulac signa edocuerint Apostema ruptum esse, utendum victu lacteo, vegetabili, lenissimo, nec facile putrescente, tum de die aperientibus detersivis: quem aphoris: more suo illustrans egreggius Commentator inquit. Lac ergo aqua dilutum pro potu, lac merum pro cibo, vel solum, vel decoctis Orizæ, Hordei, Avenæ, Fragopyri &c. mistum sufficere potest: Olera mollissima, ut Endivia, Lactuca, Spinachia jusculis carnium Animalium quæ vegetabilibus vivunt incocta pariter adhiberi possunt. Medicamenta autem hinc in primis laudantur talia, quæ copiosæ aquæ infusa, leni aperiente, & detergente vi pollent. Dum sputa minui incipiunt, neque ulla pectoris gravitas, & oppressio metum facit retineri sputa excernenda, remedia adhibentur ex Myrrha, Olibano, Sarcocolla. Opoponace &c. cum Terebinthina, Balsamo Peruviano, similibus.

Satis

(a) *Monit. & Præcept. Medic. sect. 10. p. 41.*

(b) §. 858.

§. 27.

Satis superque Summorum Præceptorum Auctoritate, meam curandi methodum hactenus comprobasse videor; verum negligenda non est clarissimi Tissot morbi hujus therapeja, quam ideo proferre libet, tum quod simplicissima, tuoque captui accommodata sit, tum quod superioribus ex parte congruat; hanc (*a*) gallico sermone sic exponit. Primo l' on prend de quatre en quatre heures un peu de crême d'Orge, ou de riz. Secundo si la matiere paroît êpaisse, gluante qu'elle ait de la peine à se dêtacher, il faut donner de deux, en deux heures une cuillierée de la potion compósée d' une Once d'Oximel scillitique, & d'une forte infusion de sureau, & boire entre deux de demi-hure, en demi heure une tasse de boisson faite avec l' infusion de fleurs de seureau, & d'hysope. Tertio quand la matiere n' a pas besoin de ces rémedes pour être evacuée, on ne les emploie pas, mais ou contraire la même norriture qu'on mêle avec parties égales de lait, ou a la quelle, ce qui est boucoups plus efficace, on substitue la même quantitaté de lait fraîchement tiré d'une bonne Vache, qui dans ce cas fait la seule norriture du malade. Quarto on donne quatre fois par jour dé deux en deux heures, en començant de bon matin, une prise de meilleur kina en poudre á la dose d'une dragme délayée dans un peu d'eau, ou reduite en bol avec un peu de Sirop, ou de miel: La boisson ordinaire, est un lait d'Amandes, ou une tisanne d'orge, ou de l'eau avec un quart de lait. Quinto il faut se promener tous les jours á Cheval, en Voiture, en Char, suivant que les forces, & les circostances le permettent. Balsamica cujuscumque generis (*b*) condemnat, quod obstructiones canaliculorum pulmonalium gignant, difficile digerantur, calorem & opressionem ingerant. Verum jam laudatus Anonimus Auctor ibidem objectiones omnes his verbis optime diluit. Les beau-

(*a*) *Tom.* 1. *Chap.*4. §. 74. *pag.* 118.

(*b*) §. 38.

beaumes natureles ne conviennent point aux phtisiques qui ont beaucoup de fieure, qui sont sujets aux inflammations, & aux hemorragies, qui sont d'un tempérement sanguin, ou bilieux, & facile á irriter, qui crachent aisement, qui sont déja dessechées par la maladie; Mais ceux qui sont d'un temperament froid, cachetique, pituitteux, & glaireux, qui crachent dificilement, qui ne sont point sujets aux inflammations, mais qui le sont aux engorgement des glandes, dont le tissu du poumon est relachè qui sont plus opressès par l'abbondance des crachats retenus, que par la destruction d'une partie de la substance des poumons, en qui les urines coulent trop lentement, qui ne sont point encore dans la fievre lente, ou qui ne l'ont pas forte, ceux-lá paroissent devior en faire usage.

§. 28.

Memoratorum præsidiorum vim non parum a potionibus calidis, & tepentibus adaugeri sciens, toto primi, & secundi morbi decursu, sive decoctum Hordei, & Avenæ, sive Emulsionem, sive aquam succo acido limonum, ut Benneto placuit, leviter saturatam, semper magis, minusve calidam, in ratione status ejusdem, præscribebam: memoria enim non exciderat, quod de simplici aqua ex Rufo Ætius (a) jamdudum nobis docuerat; illam, nempe, calidam convenire ubi excretionem præparare, & ubi quid attenare, & ubi diffundere, aut liquefacere, aut mollire, aut eluere, aut concocquere aut discutere volumus .... particulatim vero mucum ducere, & screatum adjuvare, & dolorem omnem mitigare, & præsertim in præcordiis, ac intestinis; tepidam vero his qui ulcera habent circa septum transversum, & sanguinem spuentibus, & rupturis in succingente costas membrana, convenire.

§. 29.

Therapeja morbi per plures dies juxta memoratos artis

(a) *Tetrab. 1. sermo. 3. cap. 165.*

artis Magistros hoc modo instituta, inutilis illa albi, lenti, salivalis, spumosi, & subrotnndi sputi screatio, sic ab Hipp: (*a*) nominata, mutari, illiusque concoctio perfectior, excreatio copiosior, facilior magno ægri commodo fieri, ignisque febrilis, & sitis extingui, verbo, signa omnia fælicis exitus §. 17. descripta paulatim manifestari cæperunt. Distinctissimam concoctionis sputorum in suppuratis ideam duobus potissimum in locis dedit nobis Hipp. (*b*): Charitis historiam describens, ait: Postquam vero erat tussis, expectoratio perseverabat semper multa facilis primum, lenta, alba, crassa; postquam vero concocta erat similis purulentis: Agens vero de Ration: Victus in Morb: Acut: (*c*); Cocta autem, inquit, sunt sputa quidem cum sunt similia puri; Lib: autem Prædict: (*d*) & Progn: (*e*) Suppuratorum sputum album, leve, & æquale, optimum esse scribit, ea ratione qua bonum etiam, eodem Progn: lib: (*f*) dixit flavum sputo exacte permixtum, quod humoris morbifici evacuationem, & inchoatam coctionem victrice natura, cujus proprium munus est concoctio, & permixtio, satis clare demonstret.

§. 30.

Verum, licet maximum morbificæ materiæ concoctio solutionis morbi sit indicium, perfectum tamen non est futuræ salutis argumentum: Necesse est enim ut subacta materies per vias naturæ accommodatas facile, ut fieri potest educatur; sic in suppuratis stagnans & corruptus humor facile per anachatarsin educi debet ut æger a phtisi servetur: quod si nullo pacto collectum ibi pus rejiciatur, quod debilibus accidit, suffocati aut tabidi moriuntur: Hinc ajt Hipp: (*g*) seniores potius quam juvenes interire, quoniam,

(*a*) *Lib. Progn. sec. 2. cap. 9. n. 155.*
(*b*) *Lib. 7. Epidem.*
(*c*) *N. 46.*
(*d*) *Lib. 2. cap. 6. n. 330.*
(*e*) *Sect. 2. cap. 11. n. 280. & cap. 12. n. 345.*
(*f*) *Sect. 2. n. 155.*
(*g*) *Progn. sect. 2. cap. 11. n. 340.*

niam, inquit Gal. (a) imbecilles vires habent, & ut hi liberentur magna vis requiritur quæ per tussim, ac sputa expurgat, quum hi, qui servari debent plurimum puris tussi purgare debeant, unde summus Hipp. (b) Quicumque ex morbo laterali suppurati fiunt, si 40. diebus purgentur a die qua fit ruptio, liberantur. Re enim vera tanta fuit purulentæ excretionis copia, ut suppuratorum expuvitione heminarum 10., & 13. puris servatorum, observationem apud Galen: (c) sine admriatione deinde legerim, quum ad 20. circiter libras spatio temporis ab Hipp. supra statuto ægri mei excreationis summa pervenerit.

§. 31.

Quæ de sputorum concoctione, eorumdemque screatu in purulentis ex Hippocraticis Codicibus fausto ægrotantis omine vera deprehendi, iisdem in locis aliorum signorum respectu, alvum nempe tum exigua, tum compacta pro ratione ingestorum dejicere, album, leve, & æquale sedimentum urinas habere, dolorem, & pondus lateris, sitimque minui appetitum, & somnum redire, corpus æqualiter calescere, & molle esse, facile spiritum ducere, morbumque ferre, verbo omnia quæ naturalis œconomiæ functiones restitutas indicant, ea ipsa æque certa perfectæ salutis indicia notavi: hinc pulmonalis ulceris exsiccatio secuta est, omnisque phthiseos timor evasit, sola pulmones consolidandi, & roborandi, corpusque universum reficiendi, indicatio remansit, huic pharmaceuticis, & diæteticis auxiliis §. 22. memoratis, ex parte satisfeceram, curationis reliquum cibo, motui, & aeri rusticano deinceps commisi.

§. 32.

Postremam hanc medicinæ practicæ partem Latinorum Medicorum Cicero Celsus (d) ubi de Tabe, ejusque spe-

(a) *Comm. 2. tex. 69.*
(b) *Aph. 15. sect. 5.*
(c) *Lib. 5. de loc. affect. cap. 3. p. 30. lit. H.*
(d) *Lib. 3. de Med. cap. 22.*

speciebus verba facit elegantissimo sermone descripsit. Quod si febris, inquit, aut nondum incursat, aut jam remisit decurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes, item lenes frictiones .... cibus esse debet .... Intubus, Ocimum, Lactuca, deinde lenis sorbitio ex Ptisana, vel Alica, vel ex Amylo lacte adjecto: Oriza quoque & si nil aliud adest Far idem præstat: tum invicem modo his cibis, modo illis utendum est, adjiciendaque quædam ex media materia, præcipue vero ex prima, cerebellum, vel pisciculus, & his similia: sed, ut paulo ante monuerat, paulatim, ne, si corpus insvetum subita multitudine oneraverit, stomachus gravetur, & coctionem impediat.... Ab exiguo cibo incipere debet æger, quotidie adjicere, donec ad justum modum perveniat ... Cibi vero esse debent ex his, qui facile cocquuntur, maximeque alunt. Ergo vini quoque sed austeri necessarius est usus. Bennetus (a) alimentorum species huic valetudinis tempori accommodatas recensens, eas, præter illas supra memoratas, ex carnibus Vituli lactantis, Vervecis, Agni, Hædi, Gallinæ, & pullorum Caponis, Turdi, Merullæ, Alaudæ, Vanellæ, Ardeæ depromit; E Piscibus vero Lucium, Truttam, Percam, similia commendat. Regulas vero corporis motui adaptatas (b) præscribens: exercitia omnia, inquit, sint læviora, & quæ partes inferiores, maxime subagitando moveant; motus autem omnes vehementiores eo tempore partium præsertim superiorum tamquam reos merito damnamus: unde Hipp: (c) vociferationem, & iracundiam, ne morbus revertatur, sedulo vitandam esse præcepit.

§. 33.

Præcepta hæc omnia paucis, ut solet, complexus est Batavorum Hippocrates (d) Oportet; inquit in corpus

(a) *Lib. citat. p.* 142. *sub n.* 1.
(b) P. 127.
(c) *Lib. de inter. affectio.*
(d) §. 1208. *n.* 3.

pus hujusmodi ingerere, quæ minimam requirunt vim, ut per pulmones fluere, ibique subigi queant, tamen nutriri apta, & puris refectioni inepta. Præsidia huic indicationi accommodata & ab eximio ejus Commentatore enumerata, §. 26. jam supra sunt indicata: unum ex Hipp: de locis in Homine (a) ciborum quantitatem respiciens præceptum a Swietenio sub eodem §. relatum, adjiciendum est; tabidis nempe cibaria non multa exhibenda simul esse, neque plura quam cibaria frumentacea, & vino diluto inter cibos utendum ne calefaciat, & in corpore debili calorem exhibeat, & utraque simul eodem tempore calefaciant, & calore multam fluxionem inducant; unde consequitur tantum alimenti concedendum esse, quantum a naturæ viribus subigi commode possit: Si autem sic dividatur nutrimenti assumendi copia, & pluries in die aliquid ingeratur; illud facillime assimilabitur, & humores qui læsam partem abluunt; habebunt ferme semper easdem proprietates.

§. 34.

Auxiliis omnibus internis a Therapeutica petitis, juxta summorum in arte Virorum sic exploratis, atque probatis, videndum denique superest quid motus, & cœlum ad sanitatis perfectionem ex eorum praxi valeant. Tanta est horum præsidiorum ad hujusce generis morbos integre profligandos vis, & potestas, ut excellentissimus Sydhenam, se in medicina parem candide ut solet, (b) non invenisse his verbis affirmavit. Neque magis Hyppocondriacis prodest hoc exercitii genus (loquitur de equitatione) quam Tabidis, Phtisicisque, quorum nonnulli mihi sanguine juncti multum terrarum equo vectore peragrantes, ex meo consilio sanitati sunt restituti; cum certo sciam, me vel medicamentis quantivis prætii, aut alia methe-

(a) N. 8.
(b) *In Dissertat. Epist. ad Guilielmum Cole p. 39.*

methodo, quæcumque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse, quam si multis verbis hortatus fueram ut recte valerent; Neque in levioribus tantum malis, crebra tussi, & macie stipatis id remedium obtinuit, sed, & in tabe tantum non deplorata... Verbo dicam, quamtumcumque exitialis Phtisis, & sit, & audiat, utpote qua intereunt duo fere trientes eorum, quos morbi Chronici jugulant, hoc tamen sancte assero, quod neque Mercurius in Lue Venerea, neque cortex Peruvianus in Intermittentibus efficaciores extent, quam in Phtisi curanda exercitium modo laudatum. In omni tabe, subdit, Archiater maximus Richardus Mead (*a*) exercitationibus, & frictionibus pro virium ratione constanter uti oportet.... equo autem vehi dum imbecillitas id non prohibet, vel saltem curru, lectica, aut alio modo corpus movere numquam non expedit.

§. 35.

Si autem simplex gymnasticum exercitium quocumque in aere factum (modo suapte natura noxius non sit) tantæ in hoc morbo utilitatis est, maxima sane ex eo in aere rusticano expectanda erit. Quum enim ex tellure præsertim a delapsa pluvia gratum odorem, qua loca rustica incolentes recreantur, experimento exhalare celebris ille Physicus Reaumurius (*b*) demonstraverit, concludendum est illa telluris effluvia per aera volitantia, si bona fuerint, aeris salubritatem in morbis pectoris summe necessariam producere debere. Miram terræ adversus phtisin proprietatem, se pluries in Hispania expertum fuisse refsert summus ille Franciscus Solanus clinica pulsuum satis clarus. Testatur enim (*c*) se balneo terræ in hoc morbo curando feliciter usum fuisse, & inter plures alios phtisicos,

(*a*) *Memorat. loco p.* 42.

(*b*) *Academ. des scienc. pag.* 174. *l'an.* 1703.

(*c*) *Origen morboso capit.* 5.

cos, conclamatam Hecticam restituisse integre ter balneo terræ adhibito: Licet autem terram, in quam ægri ad caput usque nudi sepeliebantur morbosa miasmata in se absorbere putaret, eam effluviis spargendis aptissimam cum nudam corporis superficiem undique contangeret, utilem fragrantiam exhalando ægris illis prodesse potuisse, Reumuriana observatione merito putandum est. Jure ergo exercitium quodcumque in aere præsertim rustico, communi Practicorum consensu, summum adversus hos morbos remedium censendum est. Num denique effluvia Animalium stabulis inerrantia ad morborum hujusmodi curationem conferre aliquid possunt? Acta literaria publica docent.

§. 36.

Hæc est morbi illius descriptio, cujus naturam me non intelligere, & cœco modo curare [redacted] dictitabas; aliter tamen sensit Publicus Medicinæ Lector, & Professor Georgius Bonelli, qui pluries meum ægrum invisit, & optimus Praxeos cultor Pajva, qui ab una mea curandi methodo sibi ab adstantibus relata, morbi genium, & dogmaticam curationem plane intellexit: ipsi oculati sunt testes, & simul æqui judices, num ista morbi historia ingenii Medicastri licentiæ, & imaginationi debeatur, an vero a fida ipsius observatione ingenue deducta sit, hujusque curatio indicationibus in ipsa relatis ex omni parte respondeat.

§. 37.

Theoriam denique morbi libenter dedissem, ni dogmata practica sub initio proponere tantum statuissem, eamque a Celeberrimo Archiatro Swietenio, meoque summo Bellini te commode haurire posse putassem; satius propterea duxi te ad Hippocratem, ejusque Sectatores vocare, ut illam, quam primo commendavi doctrinam puro ex fonte desumeres. Tenes ergo juxta Boerhaave

ve (*a*) morbi valde periculosi diligentissimam historiam, dogmaticam medendi rationem: Utinam Medici omnes sic tecum agerent! jam totidem aliorum morborum adeo necessarias descriptiones, & Hippocraticam curandi methodum haberes: His ego Romanorum utilitati pro virili, re nata, studere cæpi, nec, ubi res postulet, ulterius desinam, modo, ut spero, meos hosce conatus libenter excipias. Vale.

Romæ Idib. Sextil.

(*a*) §. 847.

F I N I S.

